

249

247

253

243

258

238

298

198

348

148

Ende

Anfang

238

in Persidem, et ipsos Persas expugnaverunt, subjicientes regi eorum; sic aggressi sunt Medos, Arabes, et usque in Syriam et Aegyptum descenderunt, cuncta Orientis regna sibi subjecerunt. Deinde Capadociam, Pontum, Ciliciam, Graeciam et Constantiopolim devicerunt, extensis palmis usque ad Germaniae fines, sicut est dies hodie. De his Turcis dicit frater Jacobus Bergamensis in suppto Chron. sub tempore Pauli papae primi: Turci, inquit, Scythicae gentes, ut divus Hieronymus scribit, fuerunt duae, quas Alexander Makedo inter hyperboreos montes ferreis clausit repagulis. Hi, ut Othus historiographus tradit, juxta annum Domini 758 Caucaseas portas egressi cum Avaris viris ferocissimis, bello multis ex utraque parte imperfectis, confluxerunt, exinde Pontum, Capadociam et caetera devicerunt et hodie possident. In omnibus istis dictis non est magna diversitas, nisi in comparatione annorum. Nam S. Hieronymus in epistola ad Flabiolam virginem dicit, suo tempore gentes, quas Alexander M. Caucasi rupibus inclusit, claustra rupisse et totum Orientem turbasse, in tantum, ut fideles locis sanctis transfugerint ad transmarinas regiones. Et Flabiola virgo, quae a Roma migraverat Hierosolymam, ibi mansura, sed terrore illius gentis percussa remeavit ad propria. Alii dicunt, ut Hermannus in chronicis, quod tempore Heraclii imperatoris sint emissi simili modo. Cum enim Heraclius astris inspiciendis peritus vidisset, suum imperium a circumcisio devastandum, universos Judaeos baptizari fecit et nolentes occidit. Exsurgentes autem Saraceni et Agareni, qui sunt de circumcisione, contra Heraclium, prostraverunt de ejus exercitu et millia pugnatorum et eorum spolia Heraclio remiserunt in contumeliam. Heraclius autem portas Caspias aperuit, quas Alexander obstruxerat ante mille annos, et inde Judaeorum CL millia auro armata eduxit eosque cum suis exercitibus contra Saracenos misit, sed in nocte, quando mane congressio fieri debuit, gladius domini C duo millia de exercitu Heraclii interfecit. Inter quae mala imperator febris cor�ceptus obiit prae tristitia, et eo tempore solutus est Satanus, et Machometus detestabilis natus, et ecclesia usque in hoc tempus vexata et immorata, nam populus ex Caucaso educitus contra ecclesiam arma sumsit, unde Hieronymus in epitaphio Nepotiani, ecce, inquit, anno praeterito ex ultimis Caucasi rupibus immissi in nos non jam Arabiae, sed septentrionis lupi, tanta

